PAREVS.

OXONIÆ,
Typis IOSEPHI BARNESII, inclytæ
Academiæ Typographi,
1585

AD LECTOREM.

NE quis error alicui obijceretur, lectorem hoc loco præmonendum censui, me in hoc Pæo describendo summam argumenti fideliter retinuisse; sed tamen ornatus & delectationis causa περιστάσεις quædam, vt græci vocant, excogitasse & affinxisse. Quod quidem & Aristotelis præcepta, & optimorum Poetarum exempla secutus feci: atq; ita vt nihil attexuerim, quod non esset virisimile, aut ab argumenti natura abhorreret.

PAREVS.

QVI Phrygio quondam certantes vertice diuas,
Et malum, Troiæ cinerem, raptamq; Lacænam,
Auspicio lusi vatis modulatus Achiui:
Nunc aliud cànere adgredior, remoq; paludem
Cocyti tranare meo: iuuat alta videre
Tartara, & hinc sæuam Parei deducere fraudem.
Reginam immeritam contra, gentemq; Britannam.
Tu mihi per dumos, atque aëra lucis egenum
Musa præi, & pauido cunctantem dirige gressu.
Viderat infernæ latus regnator ab vndæ
Afflictas pietatis opes, atque omnia fœdis
Artibus, & sacro late loca feruere bello.
Solam autem immunem scelerum, cladisq; iacere
Insulam Occano in magno: hic nam virginis altæ
Imperium, & lætos pacem florere per agros.
Tum verò inuidia mentem suffusus amara
Sic secum. Meáne hanc vnam modo temnere gentem
Numina? nec diras quicquam curare sorores?
Heu sortem inuisam. quid tot mihi dextra Latini
Profuit Albionum in dominam iaculata tyranni
Fulmina? quid cæcæ moles? quid classis Iberûm?
Totque ducum validæ per bella horrentia vires?
Si tamen hinc animos & opes interrita ducit.
Méne igitur fessum, victumq; residere tanto
Fas erit incepto? nostrasque impune per aras
Mortales ierint dextræ? Plutoniaq;, eheu,
Regna tot ereptis patiar lugere trophæis
Vnius ob merita, & iussum Teutheris Elisæ?
Consiliis, ferroque nefas hanc vincier? esto:
At fraude vnius potero superare Britanni:
Ni me fata vetant, ni mens improuida fallit.
Sic ait: atque imis excitam Acheruntis ab oris

Euocat ad ſe ſe Fraudem. venit illa vocantis
Ad nutum, & celeres per noctem concutit alas.
Cui crines Lyciæ fallentia colla columbæ
Aſſimulant, oſtroque genæ, minioq; rubeſcunt.
Ore ſedet roſeo, tremuloq; in lumine riſus.
Flores læua gerit, rigidum tenet altera ferrum
Veſte tegens, guttis maculoſa, & pellibus atris:
Qualis in Euboæ campis notiſſimus ille
Humano generi inſidias, mortemq; parare,
Mille notis lucet ſtellatus tergora ſerpens.
Hanc ergò alloquitur Pluton, ac talibus inſit.
Vade age, & hunc proprium patri fer nata laborem.
Romuleas, i, ſcande arces, atq; atria nota
Pontificis, ſæuumq; inſpira in pectora virus.
Communi vt cædem maturet callidus hoſti,
Reginæ Britonum cædem, populoq; ruinam.
Tu potes inſidijs inuictos tollere reges
Natorum, & iugulo laqueos innectere patrum,
Lethæoſque manu latices miſcere marita.
I fœlix, i ſola meos vltura dolores.
Illa nihil contrà refert: motiſq; per amplum
Aëra findit iter pennis, quà turbidus halat
Tænarus, imiſique patent ſpiracula Ditis.
Et tandem Auſonia nitens ſuper aſtitit æde.
Vt limen tetigit thalami, multoq; ſolutum
Pontificem ſomno vidit: ſub pectora nullo
Inſluit attactu, & circum præcordia ſerpit,
Fraudis agens animam, fraudiſq; immitte venenum.
Agnouit ſolitam mentem, ſtygiamq; ſororem
Primo mane ſenex, oculoſq; per omnia volvit
Ardentes igni, & ſuffuſa cæde rubentes.
Continuo fidum cuſtodi ad limina mandat
Accerſi fratrem ipſe ſuum, triſtemq; colonum

Vrbis Iulea, quam Lari margine Cæsar
Condiderat, graioq́ vocarat nomine Comum.
Nec mora: iussus adest, thalamoq́ assistit eburno,
Fausta salutantum primùm de more precatus.
Isque vbi consedit, tali pater incipit ore.
Me super Europæ rebus, nostroq́ putantem
Multa super regno, & veteri ditione meorum,
Arctior in noctem pressit sopor. hîc ego mentem
Infusam superis aliam de sedibus hausi.
Mentem, qua vires nostri heu tot per loca fractas
Colligere imperij possim, rursumq́ sub alta
Mole locem, vnde hominum fœde furor impulit audax.
Vnius hîc animæ petitur cruor, vnius Anglæ
Excidium: neque enim ignoras carissime (teq́
Sæpe meo memini mecum ingemuisse dolore)
Romanas vt opes sola è tot regibus ausa
Prorueris, pedibusq́ meos calcarit honores.
Quid memorem infandos ritus? turpiq́ madentem
Cæde recens terram? atq́ appensos turribus artus
Sanctorum? & pilis præfixa trementibus ora?
In regnis agit ista suis tamen: atque agat, opto.
(Quanquam ò: sed sancti, quæso, mihi parcite manes)
Quid terram petit ignotam, & sceptra extera tentat?
Quid Gallos tegit auxilio? Belgamq́ rebellem?
Et coniuratos in nostra incendia Pictos?
Huius in auspicio, stygijs emissa tenebris
Religio noua per terras caput altius omnes
Extulit, & (ceu flamma Euro) viuescit eundo.
Hanc ego non validis regum, quæ despicit armis
Euertam, aut cæco populi glisscente tumultu:
Fraude noua adgrediar. ne te morer: Anglus adiret
Huc aliquis modo, cui præsens in pectore virtus
Adsit, & infidi mores, animique sequacis

Ingenium,

Vrbis

Ingenium, multusq; lepos & gratia linguæ.
Nec bene contentum paruo, maculaue notatum
Ambitio caca, ac tabes exurat habendi:
Ausit vt in quasuis animo procurrere formas,
Ingenti precio, pulchroue inductus honore.
Hunc equidem compulsum auro palmaq; virenti
In mea nunc traherem vota, & clam fraude, iuberem
Officijs illam affectans sub tartara ferro
Truderet, & metui nostro medeatur, & iræ.
Quod fore, ni visa in somnis me fallit imago,
Et spero, admitarq; libens. sic fatur: at ille
Pauca refert contra. Mecum ò pater optime tantis
Hoc opus insidijs, hic erit labor. exue curas,
Atq; omnes secludo metus: ego funera faxo
Certa dolis: nec te diuina insomnia ludunt.
Hæc fatus, veniam poscit. proprioq; penates
Multa animo voluens repetit: cui munera tanta
Committat: quibus illum animis, quibus instruat armis.
Forte aderat Roma Cambrus, cui nomen Ilermo
Gracum est, antiqua missus de gente Britannûm:
Sed q:i vix alium primo à gemtore cieret.
Huic facies insignis erat, prælargaq; fandi
Copia, tum varij mores: sed rebus egenis
Asper, auens animus, facibusq; incensus amaris
Hausta vulgò ignominia. nam coniugis olim
Ipse sua natam, castos sceleraus hymenæos,
Inuasit, matrisque thoro geniale recepit.
Atque idem claro maiorum sanguine cretum,
Impius ante larem patriaq; in limine Vestæ:
Incautum ferro iuuenem transfixit acuto.
Pro quibus informi letho damnatus, Elisæ
(O quid agis nimium clemens, nimis insciа Parei?)
Seruatus fuit imperio, vitaq; sibique

Redditu

Redditus. hunc igitur Romæ tum forte morantem
Tartareus Pluton Comensi obiecit alumno.
Hic vultu cunctantem hilari, blandisq; vicissim
Vocibus accepit: votisq; vt credidit aptum
Esse suis, paulum semotas duxit in ædes.
Mox prior hæc. Nisi me multùm tua nobilis ista
Effigies, iuuenis, tuaq; illa exordia fallunt:
Haud geris abſimilem tam pulchro corpore mentem,
Vulgareſue animos ſpiras: nec tu mihi iuſſus
Femineos, aut ſceptra queas imbellia ferre.
Vnde ego, quem tali nuper dignatus honore eſt
Omnipotens, voluitq; ſuis incumbere ſacris:
Magnum animo facinus, magnum: ſed pulchrius ipſi
Vtiliusq; tibi, atq; adeò procliue volenti
Concepi. ſine me tantam ſpem ferre futuri,
Virtutiſque tuæ, & noſtris bonus annue votis.
Illam etenim noſti, &, credo, indignaris Eliſam
In ſummos rabie indomita, atq; cupidine ferri
Pontifices, & ſacra Dei, ritusque parentum:
Et noſtros premere, aduerſos attollere cœlo.
Hîc autem ſubitò ex imo ſuſpiria Cambrus
Corde trahens, Equidem noui, nec gratulor, inquit.
Et me, ſi læuum quando mihi numen adeſſet,
Iuraui vltorem patriæ, veſtriq; futurum.
Sed tu, quis tantis modus, & qua ſit via captis,
Ede, precor, venerande pater. te plurimus vſus
Erudiit rerum: nec te ſanctiſſimus orbis
Nequicquam ſummis dominus præfecit habenis.
Atque equidem tales crebrò ſub pectore curas
Sollicitus volui mecum, multumq;, diuq;
Omnia verſaui fruſtrà. tum me iſta parantem
Facta, pauor, non ſupplicij, neque luminis huius,
Quorum animus mihi contemptor: ſed me acer habebat

Inferni metus ignis, & irremeabilis ora.
Hunc mihi, si poteris, quaeso, conuelle timorem.
Ille autem: Nimium, o iuuenis clarissime, vanus
Te metus, inquit, habet: tantumq; hoc accipe contrà.
Non nos regina pestem meditamur Elisa:
Verùm illi, quam regno olim Pius ipse paterno
Exuit, atque hostem iussit, famulamq; vocari.
Immò ego te dignum cœlo, sanctóque Deorum
Concilio hanc vnam ob mentem nunc augurror esse.
Quod si tam clarum incœptum fortuna sequetur
(Vt reor, & firment superi) quæ præmia viuus
A nobis, & quanta feres! sin te atra (sed omen
In ventos disperge Deus) sin te tamen atra
Sors tulerit: quali nobis donabere palma!
Quàm tua laus nostris semper celebrabitur aris!
Nunc age, qua cœptis fuerit via tutior, edam.
Insidijs opus esse vides, ferróque latenti,
Insidijs: sed non solitis, nec qualibus vsi
Hactenus & regni proceres, regesque fuerunt,
Frustra omnes: alias poscunt hæc tempora fraudes,
Diuersosq; dolos, & non vulgaria furta.
Tu verò, si qua est nobis prudentia rerum,
Hac insiste via, atque tuo hæc sub pectore fige.
Non vlli te crede hominum, nullumq; vocato
In partem laudis tibi mens tua sola senatus,
Conciliúmque esto: dubijs hanc consule rebus,
Huc consulta refer, mutoq; incide sub ære.
Nec satis hoc. quærenda via est, qua mollis in aures
Influere, ac procerum possis arrepere victu,
Atque ipsi te etiam domine insinuare loquenda.
Hoc duplici, aut vna potius ratione tenebis.
Si nostri simules odium, cupidumque tuorum
Te fingas, dominæq; tuæ. quare omnia prudens

Vestiga, semperque aliquam circumspice causam,
Et rape, qua fidus patriæ, regique putere.
Quin etiam (si tanta animis constantia surgit,
Si tantum de te fidis) per mollia fandi
Tempora regimæ sensus tentabis, & vltrò
Illusum nobis, cademque fatebere pactam.
Interdumq; illude volens: nam talia sanctus
Ignoscit pater, & portis indulget apertis.
Sic effatus, eum sponte hac in fœdera pronum
Impulit, acceptiq; fidem: sceleriq; tabellas
Liuenti spuma, sanieq; obsignat, & angui.
Hîc ego te porrò, fraudum caput, impie cultor
Arguerim Comi (vec enim verba aspera terrent,
Illa, quibus quondam regno demissus Ibero
In nostris dulcem terris mihi læsit amicum:
Ten' ait, ò iuuenis, ten' amentissime patrum
Purpureos ausum calamo strinxisse galeros?)
Verum ego compellem porrò te: quid petis istis
Saue modis? num regna pia florentia pace?
Anne caput sacro perfusum regis oliuo?
Proh crudele nefas. vnon' Pacisque, Fideque,
Et ducis & populi cernicem abscindier ictu?
At non ille pij pastor gregis, & sacer omnium
Interpres, cuius frater mentiris & hæres,
Hæc docuit, vobisque dolos in morte reliquit.
Non generis vestri princeps vrbisque creator
Talis erat, talesq; suos amet esse colonos.
Hunc etiam (priscis si quicquam credere dignum est
Carminibus vatum, & curant mortalia manes)
Elysio in nemore, aut vmbrosa valle sedentem
Ingemere, & tales nunc credam fundere questus.
Hei mihi non liquido auspicio, ductoq; sinistra
Vrbis aui muros: quam ferro barbara quondam

Euertit manus, & duro diſiecit aratro,
Non ſine dirarum precibus vocum, & ſale multo.
Atque vtinam ſegetes illis, & gramina campis
Nunc etiam ſtarent: nec tu fœdiſſime noſter
Audires tanta pollutus labe colonus.
Nunc petis inſontem furto ferus. anne ego magnos
Albionas ſic quondam adij? primuſque Quiritum
Recluſi populo? quùm me Neptunia ab imis
Ira excita vadis claſſemq́ haurire pararet:
Euaſi tamen, atque aduerſo littore ſigna,
Cæruleam contra pubem, curruſq́ tremendos,
Conſtitui: multum & limo luctatus, & vnda.
Hic ego vi vera, & ſociũm virtute Britannos
Aggreſſus vici, ac iuſſis parere coegi.
Quin etiam placidas pacis conuerſus ad artes,
Troiugenũm populo, demiſſaq́ ab Phryge gentis,
Impoſui, gaudens cognato ſanguine, regem.
Cuius nunc ſolio dinam, ſceptroq́ potitam
Perdere per ſummum tendis ſcelus. o vtinam tu
Exilio, virgisque fores multatus, & vlmo:
Non notus ille alter ciuis Comiq́ meuſq́
Æmathij qui cauſa mihi non vltima belli.
Quid queror? aut quiſquam noſtris hos ſedibus ortos
Romanoſue putet? noſtra occidit, occidit ingens
Gloria, & Italia fatis deſedit iniquis.
Sic ait illachrimans, & ſe luco abdidit alto.
At Pareus turpi perfecto fœdere lætus
(O infanda caput fleturum) mœnia Romæ
Deſerit, & duras Ligurum trans auolat Alpes.
Donec Sequania Gallorum conſtitit vrbe.
Hanc ſibi fallendo ſedem legit: hîc ſibi multos
Relligione viros, patriaq́ adiungit eadem.
Horum animis furtim illabi, ſanctuſq́ videri

M

Magnarumq́ capax rerum: cui credere tuto
Omnia, & arcanos posset committere sensus.
Ipse animi catus, & leui mage lubricus astu,
Anglorum primis, regni rerumq́ magistris
Cuncta aperit, qua rem summam spectare videret
Consilia, atq́ ipsam dominam. fraudemq́ retecta
Fraude tegit, scabrisque viam, quò mollius iret,
Sentibus obducit: clypeo, quam vulneret, armat.
Iamq́ vbi se charum patriæ, fidumque potenti
Reginæ finxit, nec quicquam obsistere vidit
Imbelles prater curas, animique pauorem:
Huc reditum parat, & magnis insuescere coràm
Insidijs optat, nexosq́ expandere casses.
Solstitium infœlix, infaustaq́ alite nauis,
Et tandem patrijs hominem deponit in oris.
Ille pedem turbans fulua prolapsus arena
Dicitur, & capiti corui obstrepuisse loquaces:
Quò tendis miser, ò miser? hîc te dira manebunt
Supplicia, & laua tetigisti littora planta.
Hîc tibi pro tali scelere, atque immanibus ausis
Præmia iusta dabunt superi: quum carcere tetro
Eductus humili ad mortem raptabere crati:
Quum tua terribilis laqueo colla impia lictor
Inseret, impelletque cruci: nodoque reciso
Semianimem distendet humi: quum viscera cultro
Discludet: quum cor trepidum viuo, atque vidanti
Eruet, impingetq́ oculis, ignique cremabit:
Membraque sanguineo manabunt dissita tabo.
Ille nihil casus, obscænarumque volucrum
Omine commotus, fatalem pergit ad vrbem.
Quam quondam Brutus Thamesini fertur ad amnis
Florentes ripas, vdoq́ in gramine campi,
Ilio ab incenso profugis posuisse colonis,

Mag-

Et

Et patriæ dixisse nouam de nomine Troiam.
Forma antiqua manet: periit nomenque, genusq;.
Parua olim: nunc Anglorum domus ardua regum,
Et totum penitus fama celebrata per orbem.
Hæc nunc te recipit Pareu, natosque laremque,
Coniugiumque tibi reddit: neque reddere is illi
Exul adhuc, aliasque animo proiectus in oras.
Saltem incusanti similem, similemque precanti
Aspiceres patriam. Quid de te perside Pareu
Sic merui? patriæne adiges in viscera telum
Crudelis? neque enim telo, quam credis, Elisam
Appetis, aut vnum duces in funere corpus.
Illa quidem sæperis celsum caput inseret astris,
Vnde genus ducit: per q3 omnia viua feretur
Ora virúm, victrix meritis atq; auspice fama.
Illa tuas cœlo furias spectabit ab alto,
Horrentes facibus furias, atrisque colubris.
Ast ego tam dulci genetrix orbata parente
(Namque parens est illa mihi) lugubria rursum
(Quod potius nostros omen vertatur in hostes)
Fata feram, canibusq; dabor laceranda Latinis.
Quæ nunc flauenti frugum redimita corona
Purpureos vultus sub candida sidera tollo,
Orbis amor, sæclique auro florentis imago.
Mene petis? per ego has auras, vitamque, meo quas
Hausisti primum gremio, per numina tantum
Damnatura scelus, fundoq; vltura sub imo,
Parce precor, parce: haud duro de semine quercus
Te genui, Hircanæue alui Britannia tygri.
Fallor? an inuitum maior, fatique rapit vis?
Et male vitatas expendes sanguine pœnas?
Sic eat ò potius: nostro quam terra cruore
Manet, & immeritum letho caput, improbe, sternas.

Ha

Has equidem credo, voces nunc patria Pareo
Mitteret: ipsa loqui Pareo si patria posset.
Sed quid verba iuuant? animos vbi caca peredit
Proditio, & scelerum coquitur mens impia flammis,
Assiduoq; vias infanda ad crimina versat.
Ergo aut nobilium mensas, cœtusque virorum
Arripit insinuans, summisque in rebus agendis
Versatur. quid lentus Arar, quid cogitet Ister,
Quidúe pater Tyberinus, & auro flauus Iberus:
Et quà cunctorum tacitis Nereius vndis
Occurrat Thamesis, fluctusque infringat apertos,
Mille suo voluens ærat as flumine puppes:
Omnia nec Pylio peius, nec Pallade narrat.
Aut placidis animum studijs oblectat, & ipsas
Inuisit iuuenum choreas, mollesque Camœnas:
Inque dies tota volitans nitet aureus aula.
Sæpe etiam humanam dictis adgressus Elisam,
Grandibus aut monitis, aut dulci detinet ore:
Obsequioq; fidem, nec inani pignore firmat.
Nanque illam fertur, cultos dum sola per hortos
Pubentes legeret formoso pollice flores,
Talibus affatus Pareus: fuge gramina velox,
Heu fuge Diua: latet tumidus sub floribus anguis.
Sic ait, atque anguem dextra protendit: vt vda
(Pontificis signum) cera, leuique papyro
Altè pressus erat. Videas ardere veneno
Turgentes oculos, trifidisq; micantia linguis
Ora, & sublatam squamosa in tergora caudam.
Illa iocum risit, causamq; petît eiusdem.
Cui Pareus: Fidei, fidei cape pignora nostræ,
En, ait: & eadem diram, nomenque resignat
Purpurei patris, & promissa ingentia pandit.
Obstupuit subito, turbataque pectore virgo est.

Non secus, ac, caules cum vespertinus oberrat,
Audito visoue lupo, tremit artubus agna:
Illa licet clathris, & amica septa canum vi.
Sic virgo, quamuis circum sit fusa corona
Fidorum procerum, Latij prædonis vt atras
Auribus insidias, oculisque micantibus hausit:
Extimuit tamen, & placida sic voce locuta est.
At tu sanctorum custos mutissime regum,
Si iustis regno imperijs, si pectore puro
Te colui, semperq; colam, si nescia falsi
Religio, positis hominum templa incolut aris:
Si non digna fero, penitusque insueta: neque vllum
Aut sceleri locat ille modum, aut mansuescere nouit:
Huc ades ò, meq; infando pater eripe letho,
Eripe, & Ausonij telum perfringe latronis.
Tu verò, tali lucis pro munere, Pareti
Non vnquam mihi paruus eris: nec tempore in vllo
Immemorem meriti tanti marebis Elisam.
Dixit: at ille suum dictis mitescere pectus
Præsensit, dulcemque animis illabier auram.
Nec iam se duro diua tam mollia ferro
Rumpere membra velit: manibus namque effluat ensis
Conanti timet, & pauidas stupor alligat artus.
Nec tamen inceptum penitus dimittere possit.
Vnde aliquem sibi sufficere, atque asciscere tantæ
Decernit fraudis socium, cædisque ministrum:
Oblitus Comi monitorum, artisque Pelasgæ.
Vt qui nubiferam demens attingere rupem
Exesum per iter quærit: dum proximus imo
Correpit pendetq; solo, securus & audax
Vrget opus miserum. postquam subnixus in altas
Est cautes, & summa manu fastigia prensat:
Tum verò subita mentis vertigine raptus

In præceps ruit, & ſcopulis reuolutus acutis
Purpuream effundit diſiecto corpore vitam.
Sic Pæreus, vbi res ſummam deducta ſub oram eſt,
Defecit trepidus, captiſque audacibus amens
Excidit, atque animam ſparſos ſuper edidit artus.
Fama eſt, cum ſocio pepigiſſe hæc fœdera Cambrum
Neuilio. ipſe datus molles caſſasque morandi
Præberet per pura ſuis violaria riuis,
Quò cum regna crebrò ſecedere ſuetus.
Ille latus furtim ferro recluderet atro
Virgineum, & medijs moribundam linqueret herbis.
Clamaret Pæreus, quò te ſcelus abripis? vnáque
Euaſuro illi mortem intentaret, & enſem.
Et fors mactaſſet prudens, ſanctiſque dediſſet
Manibus inferias: factum vt crudele lateret,
Principis & magnus clareret ſanguinis vltor.
Quicquid erat: poſtquam capiti res turbida cœpit,
Et timuda eſſe ſuo: multis impellere dictis
Eſt ſocium, multiſque minis adgreſſus, acerbum
Maturaret opus: corrumpi talia namque
Cunctando, longoq́, animos langueſcere tractu.
Aut ſi tam eximiæ laudis cœptique pigeret,
Vadat, & in tutas celeri trabe nauiget oras:
Seque metu indicij, ſe mortis liberet aura.
Ille autem, ſeu mentem egit terrorue, Deusue,
Seu ſtrinxit patria, dominæq́, cadentis imago:
Iam non ſtare loco patitur: ſed fœdere rupto
Proſilit, indicijque volans prior emicat albam
Ad metam: ſummoq́, hærentem carcere linquit
Mactandum prodens immiti Pæa letho.
Hæc finis fraudum, hic illum tulit exitus eui.
At vos, qui latè Europam ditione tenetis,
Et finem miſeris optatis ponere rebus,

Obteſtor.

Obteſtor, tenuis magnos. ſi veſtra per arua
Romani auſpicio flagrum Bellona tyranni
Sanguineum quatit incedens, populoſq; quietos
Arma iubet rapere, & fines vaſtare beatos:
Si fraudes, ſeuique doli, medicataque viru
Pocula. & intenti veſtris cerui cibus enſes:
Si quicquid miſeri eſt vſquam, ſi quicquid acerbi:
Hinc prodit, totoque (malum) diffunditur orbe.
Fœdere quin iuncto hanc, paribuſq; inuaditis vnam
Vrbem animis? vt quondam acies Teleſinus oberrans,
Marſus homo, & magnis Samnitum ductor in armis,
Dicitur hac multum Roma iactaſſe ſub ipſa.
Eia agite ò ſocij. iam fatis debita venit
Illa dies, qua Roma arces, qua corruat ingens
Imperium: vos has latebras, ſiluaſq; luporum
Libertatem Itala pradantum excindite gentis.
Non aliâ illorum vobis vitare licebit
Incurſus: egite, & tutos prohibete receptus.
Haud aliter (nec tu magnis fruſtrabere votis,
Nec fas) Europa clara gens, inclyta bello
Progenies, non Romulidas, arcemque ſuperbi
Imperij: ſed buſtum atrum virtutis, & illos
Fraudum inuade ſpecus, regnataq; vulpibus antra.
Non alius dabitur finis, requieſue malorum.
Tuque ò magnanimûm virgo ſata ſanguine regum,
Europaq; decus, quam fata adtanta reſeruant
Munera, trigeminos curru ſubiunge leones:
Sublimiſque incede tuis ſtipata Britannis,
Et tandem inuictum cœlo caput effer aperto.
Tunc ego felici præcinctus tempora lauro,
Per medios Italûm populos tua dicere facta
Adgreſſus, numeriſque ſacros memorare triumphos,
Venturo forſan vates tuus audiar æuo.

FINIS.

3.

IN
GVIL. PARRY PRODITOREM
Odæ & Epigrammata.

¶OXONIAE,
Ex Officina Typographica Iosephi Barnesij, *Celeberrimæ*
Academiæ Typographi.
1585.